

- 1 Purè petere quid. & num. 2.
- 3 Pluris petitio ex ratione loci.
- 4 Pura actio.



D quod certo loco. Enuntiatio j. Qui quod certo loco sibi dari stipulatus erat, in alio purè petit, loco plus petere dicitur. Quid autem sit ↑ Pure petere in hoc. §. non ita perspicuum est. Nam prima species Iustinianus pure petere, sic interpretari videtur. Si ne commemoratone eius loci, in quo dari stipulatus est.

Eámque interpretationem Theophilus sine vlla dubitatione amplexus est. Sed videamus ne hoc non satis sit. Nam quamvis is qui Ephesi stipulatus Romæ petens his vtatur verbis, Aio te mihi Ephesi centum dare oportere: tamen quidrum possit? Nunquid enim ob eam causam Romæ dari oportet? Itaque re diutius considerata, in eam opinionem adductus sum, vt existimem, ↑ Pure petere in hoc loco nihil aliud significare, quam petere sine arbitrij mentione, hoc est, sine ea formula, quæ arbitrariarum actionum propria est. **Q**UANTVM ÆQUIVS MELIVS dari videbitur. Vt pura intentio, quam paulò post nominat, Arbitrariæ actioni, è regione apponatur: quasi dicas directam, asperam, simplicem: quemadmodum Cicero eam appellat, vt superius docuimus. Eæ enim satis cõstat, si quis ciuili actione & certi conditione sic ageret, vt quod Ephesi stipulatus esset, Romæ simpliciter sic peteret, Aio te mihi centum dare oportere: loco plus petere: quoniam loci utilitatem admittit promissori. Quamobrem vtilitatis causa noua quædam à Prætorè actio instituta est, in qua si actor sic dicat. Aio te mihi Ephesi centum dare oportere, sed hoc loco mihi satis erit, quod arbitro videbitur: pluris petitionem vitat: non enim purè: & simpliciter centum petit: sed id tantum quod æquius & melius arbitro videbitur. Itaque quod Imperator hoc loco posuit, **S**INE **C**OMMEMORATIONE **L**OCI, præcisè positum putemus, & hoc addendum existimemus, **E**T **S**INE arbitrij mentione.

Ideo autem plus petere. Sequitur. ij. Pluris petitio ↑ quæ ex loci ratione est, ex debitoris damno æstimatur. l. 3. D. quod cert. loco. l. pretia rerum, D. ad leg. Falcid. l. 1. D. de vsur.

Arbitraria actio proponitur. Sequitur. iij. Res alio quam quo debetur loco peti per actionem arbitrariam potest. l. 1. & pass. D. eod. Non enim ea summa quæ in stipulatione deducta est, restrictè ac definitè petitur, sed hoc demum quod æquius melius arbitro videbitur, Sententia enim Arbitrariæ actionis est hæc: Si quidem Ephesi essemus, centum te mihi dare oporteret: nunc cum alibi sumus, postulo vt ex æquo & bono mihi satisfacias.

Pura actio. Sequi. iij. Qui constituto loco petit, purè, hoc sine arbitrij mentione, potest actionem concipere. Neque enim vereri debet ne plus petat. Cum vtilitatem loci debitori integram relinquit: vt modo subiungit. Puram tãtorem actionem eam appellat, quam superius stricti Iuris, & stricti iudicij nominauit.

Qui aut sub alternatione, aut genus stipulatus est, debet aut sub alternatione, aut genus petere. Nã si pure vel speciem, quauis ea vilior sit, petat, plus petisse iudicabitur.

Huic autem, qui loco plus petit, intelligitur proximus is, qui causa plus petit. Vt ecce si quis ita à re stipuletur, **H**OMINEM **S**TICHVM, **A**VT **D**ECEM **A**VREOS **D**A-**R**E **S**PONDE? Deinde alterutrum petat veluti hominem tantum, aut decem aureos tantum. Ideo autem plus peterem intelligitur, quia in eo genere stipulationis promissoris est electio, vtrum pecuniam, an hominem solvere malit. Qui igitur pecuniam tantum vel hominem tantum sibi dari oportere intendit, eripit electionem aduersario & eo modo suam quidem conditionem meliorem facit, aduersarij verò sui deteriore. Quæ de causa talis in ea re prodita est actio, vt quis intendat hominem Stichum aut aureos decem sibi dari oportere, id est, vt eodem modo peteret, quo stipulatus est. Præterea si quis generaliter hominem stipulatus sit, & specialiter Stichum petat: aut generaliter vinum stipulatus sit, & specialiter Campanum petat: aut generaliter purpuram stipulatus sit, deinde specialiter Tyriam petat plus petere intelligitur: quia electione aduersario tollit, cui stipulationis iure liberum fuit, aliud soluere quàm quod peteretur. Quin etiã licet vilissimum sit, quod quis petat, nihilominus plus petere intelligitur: quia sepe accidit, vt promissori facilius sit, illud soluere, quod maioris pretij est.

SVM MARI A.

- 1 Causa plus petere, & causa quid.
- 2 In distinctionibus obligationibus, debitoris est electio
- 3 Stipulationem sub alternatione, actio etiam sub alternatione sequi debet.
- 4 Qui genus stipulatus est, & speciem certam petit, plus petere intelligitur.
- 5 Genus qui promissit, potest quam volet speciem soluendo, liberari.
- 6 Campanie laus secundum florum.
- 7 Tyria purpura secundum Plinium.
- 8 Æstimatio vel bonitas nõ ad rem, sed ad ipsius debitoris arbitrium refertur.



Vi causa plus petit. Enuntiatio j. Qui causi ↑ plus petit, idè ferè quod is qui loco plus petit, peccat. Causam autem hoc loco dictã pro modo apparet ex l. obligationum, 44. D. de obligatione & actione. Vbi Paulus ait, modum obligationis esse, cum Decem aut hominem stipulamur. Et certè ita est, vt qui decem aut hominem stipulatur, præcisè Decem petit, alio atque stipulatus est modo petere intelligatur. Ob eam autem causam ej proximus esse dicitur, qui loco plus petit, quoniam vt ille loci, ita hic electionis vtilitatem debitori admittit.

Promissoris est electio. Sequitur ij. In distinctionibus obligationibus, debitoris est electio. l. ple-runque, decima, in fin. D. de iur. dot. l. si in emptione, trigesima quarta, §. vltimo. D. de cõr. emp. Ob eamque causam qui illud, aut illud stipulatur incertum in stipulationem deduxisse intelligitur. l. vbi autè. 7. §. quid illud. D. de verborum obligat.